

credentiam, et offitium cancelarie legaliter exercere tam in causis quam in aliis [negotiis] <sup>2)</sup> exercendis, et testes in causis legaliter examinare in presentia domini potestatis vel eius vicarii, etiam pena vigintiquinque libr. par., et nichilominus talis examinatio sit cassa [et] vana, si contrafactum fuerit exami- 5  
nando in eius absentia, et dicta ipsorum secreta tenere donec fuerint pu[bli]cata, et rectas recordationes dare dum fuerint requisiti, nec extra districtum Tergesti exire, etiam sub pena centum sold. par., et quam citius poterunt bona fide sine fraude dare iura in scriptis, illis quibus debuerint, cum ab eis fuerint 10  
petita. ¶ Item non ostendere vel dare alicui avocatorum seu habenti questionem quaternos suorum actorum neque instrumenta, preter copiam actorum testium et instrumentorum; quorum instrumentorum copiam sine die et consule dare, etiam sub pena vigintiquinque libr. par. pro quolibet [contrafaciente] 15  
et qualibet vice contrafacta. ¶ Et scribere in suis quaternis omnia instrumenta et scripturas productas per partes, que et quot et per quos notarios confecta sunt. ¶ Et recipere debeant tantum pro copia cuiuslibet instrumenti, tam magni quam parvi, unum frx. et pro quolibet teste examinato decem 20  
par. videlicet pro primo capitulo, et ab inde in antea pro quolibet alio capitulo duos par. ¶ Et pro qualibet intentione sive capitulo unum sold., et pro copia testium sex par. pro quolibet teste super primo capitulo, et ab inde in antea duos par. pro quolibet alio capitulo et non plus, etiam sub pena 25  
centum sold. par., et pro copia intentionis sive capituli sex par. ¶ Item ad presentiam potestatis iudicum vel rectorum venire quam citius poterunt cum tintinabulum audient vel eis fuerit intimatum, et dare consilium auxilium et favorem dominis potestati iudicibus vel rectoribus. ¶ Item 30  
24 B recipere et habere pro termino ubi positus fuerit tenor instrumenti vel precepti unum sold., et pro scriptura simplicis termini causarum sex par., et de fideiussi//one unum soldum, et de qualibet sententia roborata a valore dimidie marche superius usque ad unam marcham quatuor frx., et ab inde superius 35

<sup>2)</sup> Manca nel testo; c'è nella corrispondente rubrica degli Statuti del 1318.